



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 3. De salutis desiderio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

Oâtober.

Angelo tuo reverentiam habe; tu ne audeas illo præfente, quod vidente me non auderes. *Bern. Serm. in Psal. qui habitat.*

DIES III.

De Salutis Desiderio.

I.

AD salutem æternam consequendam fervore opus est, plusque facere nos oportet, quam facere obligemur. Qui præstare plus non vult, quam id duntaxat, quod præcisè ad salutem obtinendam præstare debet, nunquam præstabit totum id, quod debet. Qui Dei solummodò præcepta servare cupit, ea non servabit. Cujus consilia ulteriùs non tendunt, quam, ut peccata mortifera vitet, de vitijs levioribus vitandis parùm sollicitus, brevè in peccatum mortiferum labetur. Et qui non volet ullum opus gratuitum facere, nunquam ea faciet, ad quæ facienda obligatur. Sunt rerum concursus, in quibus consilia migrant in præcepta, ut proin plura præstare nos oporteat, quam teneamur, si habiles evadere velimus ad ea facienda, quæ debemus. Hæc omnia in speculatione paradoxa, sed in praxi verissima sunt.

II. Si

II. Si Deo nihil penitus dare velis, præ- *October.*
ter id, quod debet, ipse se tibi conforma-
bit, dabitque tibi, quod debet, pro sua in
promissis servandis fidelitate. At vae ti-
bi, si id fiat: quid enim tibi debet? gratias
communes, gratias sufficientes; has tibi
impertiet. Atque harum ope salutem qui-
dem consequi poteris: num verò eandem
consequeris? cum enim tam debilis, iners,
& depravatus sis, abundè ostendis, te hujc
consequendæ non satis allaboraturum.
Certæ namque res, & circumstantiæ, ten-
tationes violentæ, occasiones periculi ple-
næ non rarò concurrunt: quàm difficile est,
sine gratia quadam forti, & extraordinaria
ijs non succumbere? hæ gratiæ extraordi-
nariæ sunt effectus teneri cujusdam, & sin-
gularis amoris, liberalitatis inusitatae. Ex-
hibebitne Deus peculiarem hunc amorem,
insolitam hanc liberalitatem hominibus,
qui erga Deum sordidè parci sunt, qui ul-
tra obligationis terminos progredi no-
lunt? annon iniquum est, eam ab ipso pe-
tere? an non temerarium, eam sperare?

III. Cor nostrum arx quodammodò est
munita, quam diabolus obsidet, & expu- *1. Petri 5.*
gnare desiderat: circuit, quærens, quem de- *28.*
voret. Priùs, quàm mœnia fuere diruta,
assultu locus non capiatur: si verò hostis

A 5

in-

Odober,

interiorem arcis munitionē statim aggredi-
dispossit nullis exterioribus operibus reten-
tus, arx pro desperata, & quasi capta habe-
tur. Ut ergo arx diu progugnetur, pro o-
peribus exterioribus generosè certandum
est, plurāque defendenda, quàm retinendi
spes sit. Quamdiu intra solam obligatio-
nem te continebis, & eam fortiter, con-
stantérque retines, dæmon cor tuum non
expugnabit: at si foris id munitum non sit,
nec à lapsibus levioribus se tueatur, nec ni-
si à gravioribus sibi caveat, citò in hos la-
betur. Hostis cor vix non occupavit, ne-
q; id diu ampliùs se defendet, ubi de loci de-
ditione ad colloquiū venit, sive multum,
sive parum disceptetur, arx dedita jam est.

*Inquire in teipsum, ut cognoscas, an erga
Deum parcus non sis? annon intra sola obliga-
tionis opera continere te velis. Si animo sic
comparatus es; time: brevè enim etiam in his
deficies; cum adeò debilis, & ad malum pronus
sis, inter tam gravia pericula gratijs singulari-
bus tibi opus est; fac igitur propter Deum pecu-
liare quid, ut illas merearis.*

Cum bono bonus eris, cum perverso
perverteris. *Psal. 17. 27.*

Iniquum petas, ut justum feras.

DIES